

Epistolae ineditae

Autor(en): **Renatus, Camillus / Maturus, Bartolomaeus / Sozinus, Lelius**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1750)**

Heft 19

PDF erstellt am: **22.06.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394680>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

EPISTOLÆ INEDITÆ.

I.

CAMILLUS RENATUS

&

BARTOLOMÆUS MATURUS,

Cremonensis,

HENRICO BULLINGERO,

cæterisque optimis Viris

Pacem a Domino.

EX omnibus tuis literis intellexisse videor, neque fallor, Humanissime Henrice! quanti me facias, quantumque mihi de te, sive mea, sive aliorum causa polliceri possim. Id plane hæcenus pro comperto habui, atque semper [faxit Deus] habiturum spero. Verum etiamsi fortuna incidisset, qua te mihi scirem [avertat Deus omen!] omnia negaturum, harum tamen ea nunc est ratio literarum, ut nihil iudicio tuo abs te, quicquid id est, invito sim impetraturus; nempe cujus omne studium, diligentia ac opera est in promovenda Christi & Evangelii disciplina. In causa hæc sunt. *Gabriel* hic frater noster, Evangelii & ipse Minister, de quo optime auditur, Evangelium aliquandiu, in regione Luganensi, quæ sub Helvetiorum ditione continetur, in loco qui dicitur *Murchot*, publice profes-

sus est ea opera ac fructu, ut & Christo non pa-
 rum gloriæ accesserit, & impii ex Evangelio mag-
 nam plagam acceperint. Hinc turbæ, hinc peri-
 cula; hinc quorundam calumniis ejectus est. Ad
 vos nunc ipse Evangelii propagandi studiosissimos
 Ministros accurrit rem omnem expositurus, quo-
 nam statu res Evangelii sint illis in locis, quæ
 spes, quis fructus ex adjectis quoque oppidis *Lu-
 gano & Lucarno* paratus sit: eoque animo, ut ve-
 stris ad eam rem consiliis atque opera usus, unde
 impiorum invidia ejectus est, eo tandem piorum
 consolatione restituatur ad absolvendum Ministeri-
 um. Quam ob rem ego ac *Bartolomæus*, evange-
 licus superioris Prægalliæ Minister, te, *Jo. Rivium,*
Pellicanum, cæterosque Ecclesiæ Tigurinæ minist-
 ros, gratiosissimos fratres, vehementer rogamus,
 atque per Dominum nostrum J. Christum obse-
 cramus, ut ejecto jam Fratri *Gabrieli*, quibus-
 cunque in rebus opus erit, vestra auctoritate &
 gratia, vestro studio & opera commodetis, quo
 citius, honorificentiusque cupidissimis Fratribus
 restituatur. Idque citra bonorum injuriam diplo-
 mate a nostri Imperii Moderatoribus impetrato.
 Eam rem Vos studiosissime curaturos, ut valde
 optamus, ita certo speramus. Valet in Domi-
 no. Salutant vos hinc Fratres omnes. Tu vero,
 mi Bullingere! ad superiores literas mihi rogo ex
 animo respondeas, ut inter nos aliquando cum
 Evangelii fructu conveniat. Iterum vale. Ex

vico Suprano superioris Prægalliæ. XIX. De-
 cembr. 1545.

II.

HENRICO BULLINGERO

CAMILLUS RENATUS

Pacem & Gratiam a Domino.

ACcepi literas tuas, accepi cum his quoque *Confessionem vestram*, tantas me tibi gratias agere velim scias de dono, quam gratum Christiano homini donum arbitrere, eoque majores, quo vestra magis nostræ Sententiæ respondet de Cœna Domini. Ita propemodum nostros homines docemus, ut [quod ad hanc rationem pertinet] *Camillum* dicere possis *Bullingerum*, & *Bullingerum Camillum*. Quam ob rem nihil dubites, quin mihi proberis, vel potius probentur, quicumque eo pervenerunt, ut ipsum idem sentiant. Nihil enim in Cœna, quam a Christo institutam, ab Apostolis usurpatam celebrare nuper institui, præter memoriam mortis Christi, qua a Satanæ tyrannide & potestate tenebrarum in regnum lucis asciti sumus, agnoscimus, ut nihil putes a nobis impetraturos, qui aliter sentiunt, ac docent. Id verò commodius explicabimus, ubi majus erit otium, neque certiolem faciemus. Nunc enim hoc tantum ad te, quod *D. Petrum Phinerium*, cujus nunc primum hic amicitiam conflavimus, ad te prope diem venturum audiverimus, virum summæ auctoritatis, & [ut audio] pietatis studiosissimum, cui ut me [ita n. videtur] plurimum commendes, etiam atque etiam rogo: neque id solum, sed ut Religioni ex animo faveat, & iis, qui publice profitentur, non desit, nunc præsertim, cum ejus Filius Legatum, quem *Comissarium* appellant,

pellant, agat apud Præfectum Vallis Tellinæ. De Concilio Tridentino nihil serium exspectes, ajunt tres Cardinales ibi etiam nunc commorari, atque Concilii nomine indulgere, ut solent, ventri, nihil plane facturos, quam imperitæ multitudini per se non stetisse, quominus res Religionis componerentur, ostentaturos. Nosti hominum ingenia, nosti mores. Res pietatis bellissime procedunt in Italia, optime cessurum speramus, id ut quam ocyssime eveniat, comprecemur. Salutant te Fratres, atque vobis omnibus de ejusmodi Confessione gratulantur. Salutabis nobis Ecclesiam Tigurinam. Aliquando ad te advolabo. Bene valete, idque in Domino. Ego non Tirani concionatorem ago, sed Trahonæ quod est oppidulum Vallis Tellinæ, Ludi magistrum: non silemus tamen.

III.

CAMILLUS RENATUS

HENRICO BULLINGERO

S. P. D. ex Christo.

PRoximis Literis ego ad te, ut si quod tibi esset studium charitatis, mihi per literas significares, quibus in rebus tu me omnium *hæreticissimum* existimares: Eo enim nomine a te appellatum esse me, *Franciscus Stancarus* dixit. *Franc. Niger*, qui a me tibi literas reddidit, renuntiavit te per occupationes non potuisse rescribere, cum tamen vacaret, omnino rescripturum. Verum a te nihil adhuc accipio literarum: Ea intermissio [nisi fallor] indicio est, te Fratris salutem vel negligere, vel

vel desperasse. Quod si ita est, quod certe no-
lim, nullam sane videris & nostræ veteris amici-
tiæ, & tuæ dignitatis habuisse rationem. Quid
autem jus amicitiae, quid tua dignitas postularit,
tu ipse videris. Ego certe utramque mutuis offi-
ciis conservatam, quam quorundam hominum
perversitate labefactatam maluissem. Id tu, si
æque curasses, atque ego, nec tu, cur tam diu
tibi silendum esset, haberes; nec ego, cur tecum
expostulandum. Sed esto plus apud te veteris cu-
juspian malevoli atque invidi calumniæ valuerint,
quam officii ratio, & utriusque nostrum dignita-
tis, tamen christiana te charitas, si qua inest, im-
pellere debuerat, ut erratorum, si qua essent,
me, quem non ut amicum modo, sed ut Frat-
rem etiam & Christianum hominem dilectum
oportuit, admoneres. Eo namque pacto tibi &
de officio gratias egissem, & de erratis plane satis-
fecissem. Quare tametsi utrumque omissum est,
tamen postulo, si æquum est, te oro, ut quo
monitore, quibus in rebus tibi videri possim hæ-
reticissimus, aliquando tandem ad me perscribas.
Ita te cum amicum, tum etiam christianum ho-
minem judicabo. Vale meque christiane diligas.
Ad d. 12. Maji. Clavennæ. 1549.

Colendissimo atque sapientissimo Viro
Dom. HENRICO BULLINGERO,

Tigurinæ Ecclesiæ Episcopo.

Gratiam Domini nostri J. Chr. cum Spiritu S.

QUOD ad te hætenus posteaquam a vobis discessi
litteras non dedi Vir colendiss. & observandiss.
nulla

nulla negligentia aut lentitudo fuit, tametsi enim
 tarditas senectutis comes esse solet, & tu etiamsi
 erraviffemus, hanc culpam tua benignitate nobis
 condonares, non est tamen quod accusari debeat
 ullius incuriæ, quia alia nostræ cessationis
 causa fuit. Nam cum videre prius vellem qui no-
 strarum exitus futurus esset tristis an felix, ut certa
 de nobis tibi scriberem, expectarem quoque lite-
 ras e Venetiis pro D. *Bibliandro* in hunc usque
 diem invitus etiam distuli. Nunc autem ne diu-
 tius forte maneat in cogitatione suspensus, quæ
 in præfenti habemus, qualiacunque sunt, nota
 tibi facere decrevi. Quum rediiffem domum, no-
 stram *Confessionem* in prima mea concione cunctis
 audientibus explicavi, subscriptiones & sigilla tum
 vestræ tum ceterarum Ecclesiarum, quibus confir-
 mabatur, ostendi, sequenti vero Sermonem Literas
 vestras & quas Basilienses & Curienses Patres de-
 derant, quod omnes ad concordiam & doctrinæ
 consensionem hortabantur, in lingua nostra ut
 omnes clare intelligerent, recitavi, narravimus
 pro Suggestu cunctam humanitatem cum omnium
 vestrum simul, tum uniuscujusque in particulari
 nobis exhibitam, quam honorifice & quanta cha-
 ritate in visceribus Christi Jesu nos exceperitis, la-
 bores præterea vestros, quos tum nos audiendo,
 tum causam nostram examinando, & demum eti-
 am Sententiam vestram scribendo suscepistis: po-
 stremo ordinem vestræ Ecclesiæ, doctrinam, mo-
 res, multiformem Sapientiam, lectiones, concio-
 nes, genera Linguarum, quorum omnium ingenti
 lætitia cuncti sunt affecti & laudem Deo dederunt,
 mihi autem nostræ Ecclesiæ Syndici imposuerunt
 ut pro ea tota vobis quantascunque possum gra-
 tias

uas agerem; fatentur enim se plus quam dici po-
 test vestris dignitatibus esse obnoxios, & se sua-
 que omnia vobis offerunt, rogantque ut eis ju-
 bere dignemini. In quo statu res nostræ sint, sci-
 to *Stancarum* hinc abiisse, nam cum adhuc tumul-
 tuaretur causa cujusdam Scripti quod e manibus
 D. *Comandri* sponte ne habuerit, an sua importu-
 nitate extorserit, ignoro, cujus exemplar ad te
 mitto, rogavi illum ut de cetero non me mole-
 staret, quod & fecit; quo autem abierit nescio.
 Qui autem adhærebant *Camillo* adhuc sunt in ea
 sententia, attamen spero in Domino brevi futu-
 rum, ut in viam redeant, de ipso nolim judicare,
 Domino enim suo stabit aut cadet, & spero non
 cadet gratia Domini nostri Jesu Christi. *Franciscus*
Niger præsentium lator, est in Sententia *Francisci*
Stancari, cum nihilominus alias diversæ fuerint
 opinionis: videlicet Sacramenta esse veluti organa
 quibus Deus & gratiam, qua peccata remittat &
 justificet, & regeneret, impertiat; alias hoc non
 credebat, nunc credit persuasus a *Stancaro*, neque
 id tibi scriberem, [rogo te noli offendi ex verbis
 meis quæ invitatus imo coactus dico]. *Franciscus*
Niger est Vir facilis. Nolui hoc tibi dicere cum
 apud te essem, neque enim tunc causa fuit, nunc
 autem causa est, & ea quidem urgens & magna:
 paucis diebus quum ex uxore sua infantulum sus-
 cepisset, venit ad me adhibito secum teste & con-
 fessionem suæ fidei de baptismo aperuit volens,
 ut videbatur, infantem baptizari in sua fide; Re-
 spondi illi me baptizaturum esse infantem in no-
 men P. & F. & Sp. S. in fide Ecclesiæ Christi non
 sua, nam tametsi etiam ipse erraret in fide, non
 propterea infans male baptizatus esset, neque aliam
 formam.

formam servare intendebam in baptizando suo infantulo quam hucusque servaveram: est alioqui Vir bonus, sed non satis constans & firmus: is enim cum amicissimus mihi esset & ego illi, [& fateor coram Deo nunquam me tot laudibus hominem extulisse, quot illum magnificavi] nihilominus defecit & amicitiae jura [ni fallor] violavit, tu judicabis, mitto ad te exemplar suarum literarum quas ad totam Synodum Curientem, ubi *Comander*, *Blasius*, & ceteri Ministri Christi aderant, me nesciente ante quam legerentur, dedit, non me monuit, nihil dixit. Latorem literarum esse voluit *Franciscum Stancarum* quem commendabat: audivi ego, legi literas magno animi mœrore, totus attonitus qui fieri potuisset ut contra me *Niger* scribere potuisset. Quia autem diebus præteritis se ad vos venturum esse dixit, monere te volui, ne vobis accidat quod ipsi *Comandro*, quanquam oculatiores & vigilantiores estis scio. *Comander* bona fide, ut est Vir bonus, dedit Scriptum quoddam *Stancaro*, quod dare non debuit, quia & nocebat Ecclesiae nostrae & derogabat honori suo. Nam confirmavit sua subscriptione & Sigillo nostram confessionem post vos, in ea autem confessione continetur, *Sacramenta non conferre gratiam aut justificare, sed earum rerum esse Signa*. In Scripto autem suo affirmat, *illa conferre gratiam & justificare*. Ego volui apud nostros illud excusare per id quod quandoque Signo tribuitur quod non est Signi, sed rei signatae. Verum mihi respondent aliqui quod sibi non constet *Comander*, quamvis enim verba sua rectum Sensum habere possint, non erat tamen in praesentiarum opus illud Scriptum, quod dubium gignere potest apud
impe.

imperitos, dare *Stancaro*, quia videtur *Stancaro* favere & contradicere Confessione & etiam sibi ipsi. Ratione ejus Scripti ipse *Niger* non assentitur Confessione, sed *Stancaro*, & iterum vult vos interrogare de ea re, ut eo die quando ad me venit pro baptizando infantulo promisit. Nostis quid respondendum illi sit; ipse fuit author nostræ Ecclesiæ, ut prodit in suis literis, ut Confessione si-ve sententiæ vestræ & ecclesiarum de ea re stare, nihilominus decedit a suo consilio. Recepi me missurum ad te literas quorundam nobilium ad quos de *Stancaro* scripseram, ut me de qualitatibus hominis ipsis noti me informarent. Miserunt & Venetiis has literas quas ad te mitto, ut legi tibi facias per aliquem Italum si velis & declarari, quum vulgari nostro sermone conscriptæ sunt: Primus est *Balthasar Alterius*, qui est a Secretis Legati Anglici apud Venetos; Secundus *Dominicus Manzonus* institutus a Dominio Venetorum officialium Syndicus; tertius est *Marcus de Lilio* civis Venetus, vir pius & fidelis. *Balthasar Alterius* de *Stancaro* sic scribit: *Cerebrum STANCARI a multo tempore novi & scio optime quo pede claudicet: Hæc est conclusio: Is pauperculus semper fuit, scandalosus & extraneorum opinionum, & quandam habet instabilitatem, ut nesciat quid expiscetur, temerarius multo plus quam in tuis literis dicas; propterea fugite illum amore Domini, & amovete illum ab oculis quo citius potestis, aliter nunquam quiescet neque tu neque Ecclesia vestra. Manzonus* sic scribit: *Quantum ad desiderium tuum ut informeris de D. FRANCISCO STANCARO, tibi dicam simpliciter & in veritate id totum quod scio & sentio de ipso: primum palam est & manifestum ipsum esse levem, instabilem, sui amatorem,*

Et ut brevi dicam precipitem in omnibus rebus suis: Et
 pejus hoc est quod vult desponsare suas opiniones, quan-
 quam discrepent a communi ritu Et vere christiano. De-
 inde post pauca verba addit: Quod fuerit Sacrificus:
 non credit tamen ipsum fuisse Judæum, licet
 de facie videatur, & addit, quod Venetiis acce-
 perit uxorem pauperulam a via aberrantem: mo-
 dam sui matrimonii (ait) tacebo; dicam tamen ipsum
 diu me tenuisse domi meæ meis expensis Et id invitum
 fecisse propter suam inquietudinem. Marcus de Lilio
 pauca scribit, comparat ipsum limaci, quod sig-
 na sua quacunq; transit relinquat, & qui agno-
 scatur ab omnibus: Respondebo, ait, tibi alias
 copiosius. Hæc, Vir christianissime & colendis-
 sime! non ideo mittere aut scribere volui, quod
 me delectent, sed quoniam id tibi promisi, & ut
 agnoscat quales sint qui Ecclesias conturbant.
 Nihil tamen horum quæ ad te scribo consciunt
 esse volo Franciscum Nigrum, cave te rogo ne is
 quicquam horum sciat: Quum legi feceris literas,
 si voles, plica & remitte eas omnes ad me inclu-
 sas in charta, quemadmodum ego ad te in his
 mitto inclusas. Non scribo in præsentem D. Pellica-
 no, Patri nostro revendiss. Saluta illum te rogo
 nomine meo, propediem scribam illi & D. Rodol-
 pho, quem ex corde quoque saluto, illis enim
 plurimum debeo. Saluta D. Frisium, D. Gesne-
 rum & ceteros omnes vestræ Ecclesiæ Patres. Au-
 divi istic esse D. Musculum, dicito illi ex parte
 mea, si volet ad nos venire non deseram illum
 donec ulla (b'a [f. stiva] mihi supererit, & veriora
 experietur facta quam verba. Hic rumor est Ar-
 gentinam diabolicum Interim accepisse, quod cre-
 dere non possum, verum tu nosti veritatem. Par-

ce precor mi Domine, quod tam longus sum, non enim satiari possum tecum colloquendo. Vale in Christo Jesu & scito August. tibi deditissimum esse. Clavonæ. 22. Sept. 1548.

Totus tuus Aug? Maynardus.

REcepi tuas literas Domine mi observandiss. plurimum cum *Decadibus Sermonum duabus*, quæ mihi super omne aurum & lapidem pretiosum cimelium sunt, nondum eas per mea negotia perlegere licuit: perlegam tamen, deinde pro suggestu illas prædicare institui, neque enim possunt non ab electa officina prodire, quæ a te edita sunt: ago igitur tibi quotquot verbis agere & mente complecti gratias valeo. Ego autem quod ad te mitam pro tenuitate nihil habeo, tametsi tot modis tibi sum obnoxius, nisi forte quod te affligat & animum tuum excruciet: verum tu pro humanitate tua veniam dabis. Gratissima mihi fuerunt, quæ de Saxonia, Pomerania &c. scribis; audiveram quidem nonnulla, sed quibus vix fidem præstarem, cum nostro tempore tot vana falsaque evulgentur in aures hominum. Super omnia tamen gratissimum mihi fuit audire vicisse in Anglia vestram ac nostram de cœna Domini sententiam, quando verum est, spes est profecto ut & in reliquis sit victura. De Ecclesia nostra quod tibi scribam nihil habeo quod te lætificet; Præsentium lator statum tibi nostræ Ecclesiæ indicabit. Unum est quod hi qui Schismatum causa fuerunt Anabaptistæ sunt, & quidam ex his, qui *Camillo*, Viro illi etiam adhærebant, multis audientibus dum essemus in mensa cujusdam nobilis Viri, præsentem

Paulo Vergerio viro eximio, & Justinopolitano Episcopo, quique ad nos aufugit timore Antichristi, clara voce confessus est, se noviter baptismum suscepisse & eo suscepto alium hominem nempe innovatum & Spiritu Dei plenum redditum fuisse; Papæ vero & omnibus quæ sub papatu receperat, baptismo etiam, renuntiavisse, quia baptismus ille non Christi sed Antichristi & diaboli fuit, me vero lupum esse falsum prophetam & seductorem. *Camillus* ipsorum Coryphæus & nauclerus non tam præceps est, ut tam aperte loquatur, prudentior est, non quod non pejor sit, sed quoniam loqui timet, ut existimo: neque enim possunt qui tam arcta consuetudine sunt conjuncti non eisdem erroribus implicari: Doluit eis quod is de quo dixi tam præceps fuerit ut talia effutiret, nam cupiunt in abscondito esse, ut Synagoga ipsorum augeatur & plures contaminentur. Nescio quid sim facturus, vocatus sum in Angliam, nam hic nemo est qui me juvet, torcular calco solus; parce mihi Domine! nam hoc soli Christo convenit, solus sum volui dicere. Dirigat Dominus gressus meos: inops consilii sum. Audio *Camillum* ad te scribere, tu responde illi quod pro tua prudentia respondendum judicaveris, pestis est Ecclesiarum, & magnus hæreticus, fama est illum parare abitum a Clavenna: utinam alibi melior fiat; optandum est, ut pestem suam secum portet, sed timeo: reliquias non secum feret. Harum lator ad te venit *Balthasar Alterius* vir eximius ac singularis ingenii, audies illum, neque enim possum quæ ille ad te perferet brevi scripto & illo ut vides magna celeritate exarato explicare: ipse tibi conceptus suos aperiet: Tu Vir magnæ prudentiæ,

si videris rem suam ad Christi gloriam promovendam facere, juva illum & consilio & favore: Ego quantum ingeniolo assequi possum vota sua omnia ad propagandum [nisi me fallat] Christi Evangelium estimo maxime conducere, verum quæ ipse cuperet difficile erit his qui præsumunt & cogitata sua correspondere. Vale bene in Christo Jesu Domino nostro & ora pro me. Clavenæ. 15. Maji. 1545.

Aug? Maynardus tuus raptim.

Clarissimo Viro

D. HENRICO BULLINGERO,

Tigorinensi Antistiti.

TAM diu reditum in patriam distuli, quam non ab Hispanis solum, verum etiam ab alia quacunque Servitutis specie liberam salutavi. O singulare Dei beneficium, atque Regis illius, cui nunc isti quatuor mittuntur Legati, qui agent ei gratias immortales. Hic satis feliciter procedunt omnia. Ad expugnationem Orbetelli, quod unum in potestate hostium superest oppidulum, gallicam Classem expectamus. Princeps Salernitanus cum triremibus quadraginta quinque ut minimum ad littora nostra appellet brevi, multaque fient non prævisa canis. Nos tantum Deo fidamus & non pudebimus. Sed vos quoque pro nobis Deum rogate simul & celebrate. Verum si plura cupis de mirabili hac nostra mutatione audire, homines isti copiose tibi narrabunt, & non ingrata fortassis: sint tibi commendati favoreque tuo eos complecti non omittas. Ego post festum Natalis

accingam me itineri & Deo donante apud vos ero tota deinceps æstate. Interea tu Vir Clarissime vale bene cum familia universa. D. D. *Theodorum, Gualterum, Frisium, Gessnerum*, & inprimis generos tuos saluta meis verbis, & quod minime exciderat *Pellicanos* meos omnes salvos atque felices cupio. Scripsissem etiam ipsis, sed plus temporis non est datum, hæc pauca boni consulite. Senis. 25. Settembris. 1551.

Lelius Sozinus.

De *Vergerio* nostro aliquid certi cognoscere aveo: Literas tuas Bononiam ad Patrem mihi & ipse brevi succedam.

Doctissimo atque Optimo Viro
D. HENRICO BULLINGERO,
 suo inprimis colendo.

Reditæ mihi fuerunt Literæ tuæ Venerande Antistes! quibus lectis totus summo perfusus sum gaudio. Quod enim de prospicienda mihi conditione apud Bernates te curaturum scribis, quid gratius, quid antiquius mihi contingere posset? Perge itaque te rogo in instituto, & quod tibi suggerit Dominus effice. Et si quid confeceris, Deo inprimis, deinde tibi summas agam gratias. Quod vero Bernates subtilitates ac nodos tam in doctrina, quam in planissimo Cœnæ D. negocio ecclesiis suis tradi nolunt, hoc etiam atque etiam laudo, neque ego talia doceo, nec unquam docebo: placet enim mihi puram ac simplicem doctrinam Christi, ejusque verum Sacramentorum intel-

intellectum sine tricus Ecclesiis tradere. Quod præterea Lutheranismum ac Papismum odiunt, hoc mihi a multis jam annis cum illis commune est. Testes enim [ut alios taceam] sunt *Lælius*, *Hallerus*, *Michaël . . arius*, testantur Scripta mea, testis est tota Viennensis Academia. Amo itaque Verbi Domini Simpliciter illam, quam S. Litteræ nobis proponunt. Quod tandem in aliis etiam rebus, omnem tuam operam, si ea indigero, mihi polliceris, primum quod verum & Christianum Episcopum decet, facis: deinde me tibi maximo beneficio devinctum semper habebis. Quamobrem expectabo, ut quam citius fieri poterit de toto negotio me certiore facias. Vale. Basileæ. 7. Febr. 1547.

Tuus in Domino Franc. Stancarus.

Clarissimo Viro

D. HENRICO BULLINGERO,

Antistiti Tigurinae Eccles. doctissimo & vigilantissimo

GRatiam & vitæ innocentiam a Deo patre per J. Christum. Literas ad te per Magistrum *Augustinum Mainardum* dedi observandissime Bullingere! qui speciales a me Literas habere voluit: Suffecissent quidem unæ pro ambobus, & te hoc labore levassem. Hic altera pars controversiæ, Doctor *Franciscus Stancarus* Mantuanus in linguis ut audio apprime doctus, Vir Christianus & pius, etiam mihi ab annis quatuordecim cognitus; etiam Bullingeri cognoscendi avidus: qua causa Tigurum veniant, in Magistri Augustini literis attingi: hic brevitatis gratia omitto. Age igitur pro humanitate tua cum viris istis ut soles. Vale ex Rhætiæ Curia. Kl. Junii. 1548.